

360 *Caput decimumquintum*

aliis speciatim. Igitur Iudæi , ne similes essent Gentilibus , prohibiti sunt sectari hanc superstitionem.

91. Altera prohibitio est, *Non radebis barbam.* Nota. Hæc duo distincta sunt, radere barbam, & tondere barbam. Ratio sit per nouaculam : tonsio per forcitem. Ratione, tota barba usque ad cutem excinditur : tonsione , decurtatur , & in decentem formam redigitur. Voluit igitur Deus, Hebræos non excindere suas barbas usque ad cutem, sed eas retinere, ut etiam in vultu quandam virilitatis & sapientie formam ferre videantur. Nam barba virilitatis ac virtutis insigne est.

92. Quæres 1. An omnes Hebræi hac lege fuerint obligati ? Respondeo. Excipiebant Leuitæ & leprosi, qui in legali purificatione, ut supra dixi , omnes corporis pilos radere iubebantur.

93. Quæres 2. An hæc lex pertinet etiam ad Christianos ? Respondeo. Non pertinet ; quia cum sit ceremonialis , abrogata est. Vnde liberum est Christianis, vel radere barbam, vel tondere , vel integrum relinquere. Si tamen alicubi consuetudo inualuit radendi , vel tondendi , servari potest.

De certo usu vestium.

94. De vestibus Pontificum & Sacerdotum dictum est cap.7. quæst.5. De populi vestitu extat præceptum Numer. 15. 38. *Loquere filii Israhel , & dices ad eos , vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum , ponentes in eis vittas hyacinthinæ : quæcum*

De Observantio Legalibus. 361

cum viderint , recordentur omnium mandatorum Domini , &c. Hic tria insinuantur. Primo, quod Iudæi debuerint in extremitate vestium seu palliorum gestare fimbrias. Hoc etiam fecit Christus, ut patet Lucæ 8.44. Vbi mulier hæmorrhœsa legitur tetigisse fimbriam vestimenti Christi , & continuò sanata esse. Secundo, quod super has fimbrias , circumcirca debuerint inducere & extendere filum , vel tæniam , seu vittam hyacinthinam , ut hoc signo à gentilibus distinguenter. Tertio , quod gestando & videndo huiusmodi fimbrias , debuerint esse memores mandatorum Dei. Refert Hieronymus in cap. 23. Matth. Iudæos solitos esse acutissimas spinas inferere suis fimbriis , ut ambulantes , per earum punctionem , diuinæ legis recordarentur. Vt in Christiani sint tam solliciti circa memoriam mandatorum Dei.

CAPVT XVI.

De Regibus Veteris Testamenti.

ACTENVS actum est de iis , quæ spectant ad Synagogam & Regimen Ecclesiasticum veteris Testamenti. Nunc agendum de iis , quæ concernunt Regimen & politiam temporalem. Ac primo de Iudicibus ac Regibus , qui in regimine temporali præfuerunt. De quibus hæc breuiter discutienda sunt.

1. Quæ fuerit differentia inter Reges & Iudices?
2. Qui

362 Caput decimum sextum

2. Qui, & quot fuerint Iudices? 3. Qui, & quo^r fuerint Reges? 4. Qui fuerint boni, & qui mali Reges? 5. Quomodo creati fuerint Reges? 6. Quomodo inauguriati? 7. Quomodo vng^ti? 8. Quod fuerit officium Regum? 9. Quod ius in subditos? 10. An potuerint habere plures vxores? 11. An magnas diuitias? 12. An copiosum equitatum? 13. Quales fuerint ipsorum consiliarij? 14. Quid ex his omnibus discere debeant Reges & Principes Christiani?

QVÆSTIO I.

Quæ fuerit differentia inter Reges
& Iudices?

1. R^Espublica Hebræorum ab exordio sui, usque ad captiuitatem Babyloniam, variis modis fuit gubernata. 1. per Mosen in deserto. 2. per Iosue in ingressu & diuisione terræ promissionis. 3. per Iudices post diuisionem terræ, usque ad Samuelem. 4. per Reges, usque ad captiuitatem Babyloniam. Nunc quæstio est, quæ fuerit differentia inter Iudices & Reges. Respondeo. Fuit triplex potissimum differentia.

2. Primo, Iudices erant Principes populi, qui extraordinariè, & in necessitate à Deo suscitantur, eo fine, ut populum à seruitute, & de manu hostium liberarent. Vnde & Saluatores dicti sunt. Iudic. 2. 16. *Suscitauit Dominus Iudices, qui liberarent eos de instantium manibus.* Et cap. 3. 9. *Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluator-*

rem,

De Regibus veteris Testamen.

363

rem; & liberauit eos. Et 2. Esdræ 9. 17. *Dedisti eis Saluatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum.* Tametsi enim Deus fuerit primarius populi Saluator. 1. Reg. 14. versu 39. tamen Iudices erant secundarij & subordinati, vt notat Augustinus quæst. decima octava super Iudices. At verò Reges, vt plurimum, non excitabantur à Deo extraordinariè; sed multi, vel iure successionis, vel electione, vel per vim & tyrrnidem, regnum occupabant, vt quæst. 5. videbimus. Nec eo dunataxat fine, vt liberarent populum à seruitute hostium; sed vt illum, siue pacis, siue belli tempore, gubernarent.

3. Secundò, Iudices non succedebant sibi in uicem immediatè, sed post interuallum temporis. Nam quando unus Iudex, qui liberauerat populum ab una seruitute, moriebatur; non succedebat aliis, nisi populus, proper noua peccata, noua seruitute oppressus, peteret nouum à Deo Saluatorem. Iudicum 3. versu 9. & cap. 4. versu 3. Vnde siebat aliquando, ut per multos annos nullus omnino esset Iudex. Verbi gratia. Post mortem Othonielis, qui fuit primus Iudex inter eos, quorum fit mentio in libro Iudicum, transierunt 18. anni, antequam Aod, secundus Iudex, à Deo suscitaretur. Nam populus, non nisi post tot annos afflictionis, petinit à Deo liberari. Iudicum 3. v. 14. At mortuo uno Rege, mox alias succedebat. Nam Reges, vt dixi, non tantum belli & seruitatis, sed etiam pacis tempore, gubernabant populum. Certè Salomon 40. annis in summa pâce gubernauit. Vnde & Rex pacificus appellatus est. 1. Paralip. 22. 9.

4. Ter

4. Tertiò, tempore Iudicum, non tam ipsi Iudices, quam Deus, qui eos suscitabat, dicebatur regere populum. At tempore Regum, Reges ipsi censebantur gubernare. Nam cum populus, tempore Samuelis, qui tunc erat Iudex, non amplius vellet habere Iudices, sed Reges, dixit Dominus Samueli: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* (1. Reg. 8. 7.) Et Samuel populo: *Vos hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de uniuersis malis & tribulationibus vestris.* ibidem cap. 10. 19. Et iterum: *Dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.* (cap. 12. 12.) Ex quibus testimoniosis constat, Deum regnasse tempore Iudicum: Reges, tempore Regum. Et Iudæos ideo fuisse reprehensos, quod non amplius vellent à Deo, per Iudices; sed à Regibus, more gentilium gubernari. Quo etiam spectat illud Iudic. 7. 18. *Quando personuerit tuba in manu mea (inquit Gedeon Iudex) vos quoque per circuitum clangite, & clamate: Domino & Gedeoni.* Et ibidem v. 20. *Clamaueruntque: Gladius Domini & Gedeonis.* Vbi Deo tribuitur primarium officium: Iudici secundarium.

QVÆSTIO II.

Qui, & quot fuerint Iudices Hebraorum?

1. IN libro Iudicum numerantur hi. 1. Othniel, ex tribu Iuda. 2. Aod, ex tribu Benjamin. 3. Samgar, filius Anath. 4. Debbora Prophetissa,

De Regibus veteris Testamenti. 365

phetissa, vxor Lapidoth. 5. Barac, filius Abinoën. 6. Gedeon, ex tribu Manasse. 7. Abimelech filius Gedeonis. 8. Thola, ex tribu Issachar. 9. Iaïr, Ga-laadites. 10. Iephte. 11. Abesan Bethleemites. 12. Achialon Zabulonites. 13. Abdon Pharathonites. 14. Sampson filius Manue, de tribu Dan. Hos fecuti sunt Heli & Samuel, de quibus lib. 1. Regum.

2. Othoniel liberavit Israëlitas de manu Cus-an Regis Syriæ. Aod de manu Eglon, Regis Moabitarum. Samgar de manu Philistinorū. Debbora & Barac (qui simul iudicarunt) de manu Iabin, Regis Chanaan. Gedeon, de manu Madianitarum & Amalecitarum. Iephte defendit illos contra Ammonitas. Sampson contra Philistæos. Abimelech non tam fuit Iudex, quām Tyrannus, quia vi principatum inuasit, interfecit septuaginta fratribus suis, excepto Ioatham, qui solus euasit. Thola, Iaïr, Abesan, Achialon, Abdon, fuerūt quidem Iudices; sed à quibus hostibus defenderint Israëlem, non constat ex libro Iudicum.

3. De plerisque narratur aliquid speciale. De Aod: *Vtebatur viraque manu pro dextra.* cap. 3. vers. 15. De Samgar: *Percussit de Philistibim sexcentos viros vomere.* cap. 3. vers. 31. De Iaïr: *Habuit triginta filios, sedentes super triginta pullos asinarum, & Principes triginta ciuitatum.* cap. 10. 3. De Abesan: *Habuit triginta filios, & totidem filias in matrimonio.* cap. 12. vers. 8. De Abdon: *Habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes.* cap. 12. 13.

4. Plura de Gedeone, Iephte, & Sampone. Et quidē de Gedeone hæc potissimum. 1. Ab Angelo vocatus est, vt liberaret populum de manu Madianitarum. 2. Petiuit duo miracula pro con-

firmatione suæ vocationis. Vnum, vt posito velle-
re in sicca area ros matutinus madefaceret yellus,
& non aream. Alterum, vt madefaceret aream, &
non yellus. Vtrumque factum. 3. Ante pugnam
obtulit Deo sacrificium, igne de petra miraculo-
sè erumpente, & sacrificium consumente. 4. De-
struxit aram Baal, & ædificauit altare Domino.
5. Ex omni populo assumpsit trecentos tantum vi-
ros pro bello contra Madianitas. 6. Ex alterius
somnia, & somnij interpretatione, intellexit, se fo-
re victorem. 7. Mox ipse, & trecenti viri cum eo
cœperunt buccinis clangere, & confringere lage-
nas in circuitu castrorum hostilium, clamantes:
Gladius Domini, & Gedeonis. 8. Hostes territi, subito
fugerunt, & plerique propriis gladiis perierunt.
9. Reliqui à Gedeone fugati & imperfecti sunt.
cap. 6. & duobus sequentibus.

5. De Iephte hæc. 1. Fuit filius metetricis. 2. Eie-
ctus est à fratribus tamquam spurius, & habitauit
in terra Tob. 3. Inde reuocatus à Galaaditis, vt
pro ipsis pugnaret contra Ammonitas. 4. Consen-
tit ea lege, ii deuictis Ammonitis, facerent illum
populi Principem. 5. Iturus ergo contra Ammoni-
tas, fecit votum Deo. (De quo voto supra, cap. 15.
§. 29. & sequentibus.) 6. feliciter pugnauit. Iudi-
cum cap. 11. per totum.

6. De Sampone hæc. 1. Natus fuit ex sterili ma-
tre, sicut Angelus futurum prædixerat. 2. Vinum
& siceram non bibit. Erat enim Nazaræus. 3. Suis
manibus leonem dilaceravit. 4. In Ascalone per-
cussit trecentos viros. 5. Cepit trecentas vulpes,
& ligatis ad caudas earum facibus, combussit se-
ges Philistinorum. 6. Dirupt vincula, quibus
erat

erat ligatus. 7. Arripiens mandibulam asini, inter-
fecit in ea mille viros. 8. Sitiens bibit aquam, mi-
raculosè egredientem ex dente maxillæ. 9. Appre-
hendit ambas portæ fores cum postibus suis, & se-
ra; & impositas humeris suis, portauit ad verticem
montis. 10. Significauit Dalilæ metetrici, in quo
haberet vires suas. 11. Ablatis viribus, & effossis
oculis, catenis vinclitus est à Philistæis, & in carce-
rem positus. 12. Inde in locum conuiuij ductus, vt
ludibrio afficeretur. 13. Tunc, inuocato Domino,
recepit vires: Et apprehendit columnas domus
conuiuij, & sic tota domus corruit; ex cuius lapsu,
& ipse, & tria millia Philistinorum perierunt. Iu-
dic. 13. 14. 15. & 16.

7. Quidam ex supradictis Iudicibus commen-
dantur in Scriptura, tamquam sancti, vt nomina-
tim Barac, Gedeon, Iepheth, Sampson. Hebr. vnde-
cimo v. 32. Ex quo sequitur, falsum esse, quod ali-
qui Caluinistæ asserunt, spurious seu illegitimè na-
tos saluari non posse. Nam Iepheth fuit spurius; &
tamen, teste Apostolo, saluatus est. Aliqui etiā mi-
raculosè, vel nati sunt, vt Sampson ex sterili matre:
vel vocati, vt Gedeon: vel victoriam consecuti, vt
plerique omnes.

Q V A E S T I O I I I .

Qui, & quot fuerint Reges Hebraeorum?

I. **A** Nte diuisionem regni fuerunt hi tres. 1.
Saul. 2. David. 3. Salomon. Post Salomo-
nem secura est diuisio regni: & ex vno, duo facta
sunt Alterum Iuda, quod continebat duas tribus,

Iuda & Beniamin: Alterum Israël, quod reliquas tribus complectebatur. Et quidem Reges Iuda habitabant in Ierusalem: Reges Israël, primò in Sichem, deinde in Thersa, postremo in Samaria.

Reges Iuda fuerunt hi:

1. Roboam, filius Salomonis.
2. Abia, filius Roboam.
3. Afa, filius Abiae.
4. Iosaphat, filius Aſae.
5. Ioram, filius Iosaphat.
6. Ochozias, filius Ioram.
7. Athalia, mater Ochozia, uxor Ioram.
8. Joas, filius Ochozia.
9. Amasias, filius Ioæ.
10. Azarias, seu Ozias, filius Amasiae.
11. Ioathan, filius Azariae.
12. Achaz, filius Ioathan.
13. Ezechias, filius Achaz.
14. Manasses, filius Ezechiele.
15. Amon filius Manassis.
16. Iosias, filius Amon.
17. Ioachaz, filius Iosiae.
18. Ioacim, seu Eliacim, filius Iosiae.
19. Ioachin, seu Ieconias, filius Ioacim.
20. Sedechias, seu Mathanias, patruus Ioachin.

Reges Israël fuerunt hi.

1. Ieroboam, filius Nabat, Ephrataeus.
2. Nadab, filius Ieroboam.
3. Baasa, filius Ahiae, de domo Issachar.
4. Ela, filius Baase.
5. Zambri, filius Elae.

6. Amri.

6. Amri.
7. Achab, filius Amri.
8. Ochozias, filius Achab.
9. Ioram, frater Ochozia.
10. Iehu, filius Iosaphat, filij Namfi.
11. Ioachaz, filius Iehu.
12. Ioas, filius Ioachaz.
13. Ieroboam, filius Ioæ.
14. Zacharias, filius Ieroboam.
15. Sellum, filius Iabes.
16. Manahem, filius Gadi.
17. Phaceia, filius Manahem.
18. Phacee, filius Rometiae.
19. Osee, filius Ela.

2. Hic triplex differentia notanda est inter Reges Iuda & Israël. Prima, quod omnes Reges Iuda fuerint ex eadem tribu, nempe ex tribu Iuda: Et omnes ex familia Dauid. (Excipio Athaliam, quae habuit quidem maritum ex familia Dauid, nempe Ioram Regem; sed ipsa fuit filia Achab, filij Amri.) At Reges Israël fuerunt ex diuersis tribubus & familiis. Altera, quod Reges Iuda, si non omnes, saltem multi, manserunt in cultu veri Dei. At Reges Israël, nullo excepto, fuerunt omnes Idololatræ. Etiam Iehu. 4. Regum 10. versu 29. Tertia, quod Reges Iuda, ut plurimum, iure successionis peruerterint ad regnum. At Reges Israël variis titulis ac modis, ut quæstione quinta explicandum est.

QVÆSTIO IV.

Qui fuerint boni, & qui mali Hebraeorum Reges?

1. R Atio dubitandi sumitur ex Scriptura, quæ vno loco afferit, tres tantum fuisse bonos, vt Ecclesiast. 49. 5. Præter David, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt. At alibi significat, etiam alios fuisse bonos, vt Asam, Iosaphat, Ioam, Amaziam, Azariam & Ioathan. Nam in gestis singulorum ponit hanc laudem: *Fecit rectum in conspectu Domini, vt pater* 3. Regum 15. 1. & cap. 22. 43. Et quarto Regum 12. 2. & cap. 14. 3. & cap. 15. 3.

2. Hæc difficultas sic soluitur. Hi sex posteriores fuerunt quidem boni, sed non zelosi in religione & cultu Dei. Et ideo laudantur quidem, quod fecerint rectum in conspectu Domini, sed simul reprehenduntur, quod excelsa non abstulerint, neque impedierint cultum idololatriæ. Nam sicut de singulis dicitur: *Fecit rectum in conspectu Domini;* ita mox additur: *Verumnamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat & adolebat incensum in excelsis.* 3. Reg. 22. 43. & alibi.

3. At David, Ezechias, & Iosias non tantum fuerunt boni, sed etiam zelosi in religione. Nam de Ezechia & Iosia disertè legimus, quod abstulerint excelsa, ad impediēdam idololatriam. 4. Reg. 18. 3. & cap. 23. 8. De Davide verò, quod in excellis non immolauerit. 3. Regum. 3. 3. Quod cum magna solemnitate deduxerit Arcam Domini in

Ierusa

De Regibus veteris Testamenti. 371

Jerusalem. 2. Reg. 6. 12. Quod desiderauerit Deo Templum ædificare, ibid. cap. 7. 2. Quod in rebus maioris momenti nihil voluerit aggredi, nisi consulto prius Deo. 1. Reg. 22. 15. & cap. 33. 2. & sequentibus. Quod ad placandum Deum erexerit altare in area Ornan, & obtulerit holocausta & pacifica. 1. Paralip. 21. 26.

4. Illud ergo, Præter David, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt, sic debet intelligi: Omnes Reges Iuda, præter illos tres, in eo peccarunt, quod ex quadam neglectu religionis, non abstulerint excelsa, nec impedierint idololatriam in suis subditis. Qui sensus colligitur ex ipso contextu. Nam initio capituli laudatur Iosias à zelo religionis, quod abstulerit abominationes pie-tatis, id est, excelsa, lucos, sculptilia, statuas, vt explicatur 4. Reg. 23. 4. & 2. Paral. 3. 4. Item, quod gentem suā, id est, Iudeos, qui sub Amon & Manasse erāt impij & idololatæ, perduxerit ad pœnitentiam & pietatem, quod etiam prolixè recensetur 2. Paral. 3. 5. per totum. Mox additur, nullum aliū Regem fuisse parem Iosiae in hoc genere, nisi Dauidem & Ezechiam: Cæteros omnes pœcasse, permitendo idololatriam, & relinquendo legem Altissimi. 4. Reg. 22. 13. Et hoc modo dedisse occasionem, vt regnum Iuda, in pœnam delicti, occuparetur ab alienigenis, id est, à Chaldaeis; & vasa templi cum populo transferrentur in Babylonem.

5. Dices, Non videtur ille esse sensus istius loci. Nam etiam Asa & Iosaphat abstulerunt excelsa, vt expressè habetur 2. Paralipom. 14. 2. & cap. 17. 6. Factum ergo est, omnes præter Dauidem,

B b 4 Ezechi

Ezechiam,& Iosiam,in eo peccasse, quod ex neglectu religionis,excelsa nō abstulerint. Respondeo.Asa abstulit quādam excelsa, sed non omnia. Prius patet ex illo 2.Paralip.14.2. Subuerit altaria peregrini cultus,& excelsa. Posterior ex illo 3.Reg.15.12. Purgauit vniuersas sordes idolorum,qua fecerunt Pares eius. Postea sequitur: Excelsa autem non abstulit. Iosaphat verò,cùm primum cœpit regnare ,nō ausus fuit auferre excelsa,in quo fuit culpabilis,iuxta illud 3.Reg.22.44. Verumtamen excelsa non abstulit:ad huc enim populus sacrificabat ,& adolebat nichil in excelsis. Postea tamen , factus audacior, abstulit. 2.Paralip.17.6. Cūnque sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini , etiam excelsa & lucos de Iuda abstulit. Vterque ergo , tam Asa,quam Iosaphat,in hac re peccauit: ille quidem,quod non abstulerit omnia excelsa : hic verò,quod tardè abstulerit.

6. Nota. Per excelsa intelliguntur fana ,vel facella,vel altaria in altioribus locis,vt in montibus & collibus ,ad colendum Deum ædificata. Erant autem duplia. Quādam facta ad cultum falsorum deorū,& seuerē prohibita. Num.22.41. Duxit eum ad excelsa Baal. Et Numer.33.51. Quando transieritis Iordanem , in iranies terram Chanaan: disperdite cunctos habitatores terra illius, confringite titulos,& statuas cōminuite, atque omnia excelsa vastate. Et Deuter.12.2. Subuertite omnia loca,in quibus conluerunt gentes deos suos super montes excelsos & colles: dissipate aras eorum , & confringite statuas. Et 3.Reg.11.7. Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos , idolo Moab,in monte,qui est contra Hierusalem. Et cap.12.31. Ieroboam fecit vana in excelsis. Et 4.Reg.17.9.

Ædifi-

Ædificauerunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis. Et ibid.v.19. Vnaquaque gens fabricata est Deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis. Alia ad cultum veri Dei facta,antequam templum esset ædificatum. De quibus 3.Reg.3.2. Populus immolabat in excelsis:non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. Inter illa , præcipuum erat in Gebaon, ut habetur ibid. v.4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolare ibi: illud quippe erat excelsum maximum. Et 2.Paral.1.3. Abiit Salomon cum vniuersa multitudine in excelsum Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis Dei.

7. Hæc etiam excelsa , non tantum post ,sed etiam ante templum ædificatum , fuerunt prohibita,vt docent Theodoreetus quæst.11. Procopius & Abulensis in 3.Reg.cap.3. Ribera lib.1.de templo, cap.2. Ratio est,quia Deus expreſſe mandauit Iudeis,vt non offerrent sacrificia in variis montibus & collibus,more gétilium, sed tantum in uno certo loco,ubi vel Tabernaculum esset, vel templum. Deut.12.2. Subuertite omnia loca,in quibus conluerunt gentes deos suos super montes excelsos & colles. Et paulò post sequitur: Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habituet in eo, venientis , & offerentis in loco illo holocausta & victimas vestras. Et infra v.13. Causa , ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris ; sed in eo quem elegerit Dominus. Hinc Salomon fuit reprehensus,quod ante templi ædificationem, immolarebat in excelsis. 3.Reg.3.3. Dilexit autem Salomon Domirum,ambulas in preceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat. Et reliqui Reges, qui illum secuti sunt, similiter fuerunt reprehensi,

B b 5 quod

quod excelsa non abstulerint : tam ea, quæ facta erant ad cultum veri Dei ; quam reliqua, quæ facta ad colendos falsos deos. Excipio Ezechiam & Iosiam, qui, vt supra dixi, abstulerunt. Excipio etiam excelsum Gabaon , in quo licuit offerre & immolare, ratione Tabernaculi, quod ibi conservabatur. (2. Paralip. 1.3.) In reliquis non licuit.

8. Atque hæc obiter dicta sint ad concilianda Scripturæ loca, initio quæstionis allata, quæ videbantur inter se pugnare. Nunc, vt clarius constet de probitate, vel malitia singulorum Regum , de singulis in particulari agendum est. Ac primo de Saule, Dauide, & Salomone, qui regnarunt ante diuisionem regni. Deinde de Regibus Iuda, & de Regibus Israël, qui postea secuti sunt. Igitur

9. S A V L , initio regni fuit bonus, rectus ac simplex. 1. Reg. 9. 2. Saul eb̄elus & bonus: & non erat vir ac filius Israël melior illo. Et cap. 13. 1. Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, id est, Erat innocens, sicut puer vnius anni, vt explicatur cap. 15. 17. Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es, unxi que te Dominus Regem super Isr. el. Mansit autē in illa probitate duobus annis. 1. Reg. 13. 1. Duabus autem annis regnauit super Israël. Postea à Deo desertus est propter inobedientiam. Fuit autem duplex illius inobedientia. Vna, quia Samuel dixerat illi, vt differret offerre holocaustum, donec ipse adesset. Non paruit. (1. Reg. 13. 9.) Altera, idem Samuel mandauerat illi, vt interficeret omnes Amalekitas, nullo excepto. Neque tunc paruit. (1. Reg. 15. 3.) Propter utramque inobedientiam priuatus est regno, sicut primi parentes propter vnam inobedientiam expulsi sunt

ex

ex paradiſo. Et ab eo tempore cœpit deseriri à Deo, nec iam amplius bono, vt solet, sed malo spiritu agitabatur. 1. Reg. 15. 23. Pro eo, quod abieciisti sermonem Domini, ab eccl. te Dominus, ne sis Rex. Et cap. 16. 14. Spiritus Domini recessit à Saul , & exagitabat eum spiritus nequam. Et tunc, in locum illius, vñctus est David. (1. Reg. 16. 13.) Nihilominus Saul adhuc vixit in regno 38. annis : & toto illo tempore Davidem persecutus est, quem sciebat à Samuele vñctum esse in Regem (primo Regum 18. 19.)

10. D A V I D fuit bonus, & vir secundum cor Dei, iuxta illud 1. Reg. 13. 14. Quæsiū Domi- nus sibi virum iuxta cor suum. Et Acto. 13. 22. Su- scitauit illis David Regem, cui testimonium perhibens, dixit : Inueni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

11. At peccauit, inquires. Verum est. Neque hoc dissimulauit Scriptura, cùm ait 3. Reg. 15. 5. Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vita sua, excepto sermone Vria Heshai, id est, excepto duplice peccato. Vno, quod adulterium commis- serit cum vxore Vriæ. Altero, quod ad occultandum hoc adulterium , curauerit occidi ipsum Vriam. (2. Reg. 11. 4.)

12. Quomodo ergo vir secundum cor Dei? Id triplici sensu intelligi potest. Primo, spectando ipsius zelum in religione , de quo supra. Se- cundo, conferendo illum cum plerisque aliis Re- gibus, qui non fuerunt tam boni, quam David. 3. Reg. 11. 4. Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius. Et alibi. Tertiò, con- ferendo

ferendo illum speciatim cum Saule, ut hic sit sensus: Quia Saul fuit inobediens Deo, priuatus est regno, successit illi Dauid, qui erat obediens, & faciebat omnes voluntates eius. Hic sensus colligitur ex ipso textu. Nam 1. Regum 13.13. sic legimus: Dixitque Samuel ad Saul: Si uite egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae precepit ubi. Quod si non fecisses, iam nunc preparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quas fuit sibi Dominus virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus, ut esset Dux super populum suum, eo quod non seruaueris, quæ præcepit Dominus. Et Act. 13. 21. Exinde postulaverunt Regem: Et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin. Et amoto illo, suscitauit illis Dauid Regem, cui testimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

13. Vtrobique sit comparatio inter Saulem & Dauidem. Huius obedientia commendatur; illius inobedientia reprehēditur. Et iuxta hunc sensum, qui est litteralis, hæc duo idem sunt: *Vir secundum cor Dei, &c, faciet omnes voluntates Dei.* Vbi per voluntates, non intelligit præcepta Dei, quæ in lege Mosaïca scripta sunt; quia certum est, Dauidem hoc sensu non fecisse omnes voluntates Dei, cùna peccauerit contra præcepta Decalogi, per homicidium & adulterium: sed intelligit mandata, quæ viua voce solent dati per Prophetas aut Pontifices. Hæc enim seruauit Dauid, non item Saul. Itaque in eo est differentia inter utrumque; quod quando mandabatur aliquid circa regni administrationem, Dauid parebat; Saul non parebat.

14. SALOMON, initio bonus ac sapiens; postea per mulieres alienigenas depravatus est, & idololatra factus. 3. Regum 12.1. Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas mulieras. Ac deinde subditur: Cumque iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos. In pœnam huius peccati, diuisum est regnum ipsius, & maior pars data Ieroboam. ibidem v. 11. Quia non custodiasti pacium meum, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. An autem egerit pœnitentiam, & saluatus sit, disputat Pineda lib. 8. de rebus Salomonis, & alij plures.

15. ROBOAM, filius Salomonis, fuit malus. Peccauit autem tribus potissimum modis. Primo, Quia initio regni, spredo consilio senum, securus est consilium iuuenum. Et sic dedit occasionem divisionis regni, quam Salomon suo peccato erat promeritus. 3. Regum 12.8. & 2. Paralip. 10. 8. Secundo, quia post tres annos, tam ipse, quam subditi deseruerunt Deum. 2. Paralipomenon 11.17. & cap. 12.1. Tertiò, quia idolatriam, & multas alias impuritates concessit. 3. Regum 14. 22. Et ideo, quinto regni sui anno, punitus est à Sesac Rege Ægypti. 2. Paralipomenon 12. 2. Mansit autem in sua impietate usque ad finem vitæ. ibidem v. 14.

16. ABIA fuit etiam malus. Initio quidem regni coluit Deum, & spem suam in illo collocauit, ut patet ex concione ipsius, quam habuit in bello contra Ieroboam, Regem Israël. 2. Paralipomenon 13. 4. Ideoque insignem victoriam obtinuit. At postea, ambulauit in omnibus peccatis Patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo. 3. Regum 15. 3.

17. ASA filius eius fuit bonus. Ac 1. abstulit effeminatos de terra. 2. purgauit omnes sordes idolorum, quæ fecerat Roboam & Abia. 3. Maacham, matrem suam amouit, ne esset Princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat. 4. Subuertit specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. (3. Reg. 15. 11.) Hæc tamen in illo reprehenduntur. Primò, quod excelsa non abstulerit. Aliqua quidē abstulit: (2. Paralip. 14. 2.) non tamen omnia. (3. Reg. 15. 14.) Secundò, quod pugnaturus contra Baasan Regem Israël, habuerit fiduciam in Rege Syriæ, & non potius in Domino Deo, sicut fecerat in bello contra Æthiopes. Quod obiecit illi Hannani Propheta. (2. Paralip. 16. 7.) Tertio, quod eundem Prophetam, propter hanc increpationem, coniecerit in vincula. (ibidem versu decimo.) Quartò, quod circa finem vitæ, cum laboraret podagra, non quæsierit Dominum, sed magis in medicorum arte consilus sit. (ibidem versu duodecimo.)

19. IOSAPHAT fuit bonus, & multa præclare gessit. Primò, misit Leuitas & Sacerdotes per omnes ciuitates Iuda, ut doceret populum legem Dei. (2. Paralip. 17. 8.) Secundò, abstulit reliquias effæminatorum quæ remâserant in diebus Asa patris eius. (3. Reg. 22. 47.) Tertiò, cum antea non ausus fuisset auferre lucos & excelsa. (3. Regum 22. 44.) tandem factus audacior, abstulit. (2. Paralipomenon 17. 6.) Quartò, progressu temporis instituit nouam populi reformationem. (ibidem capite decimo nono, vers. 4.) Quintò, cum Moabite & Ammonitæ contra illum insurgerent, ipse publico ie-

junio

iunio indicto, supplex ad Deum confugit, & insignem victoriam obtinuit. (ibidem cap. 20. 1.) In duobus tamen reprehēsus est. Primò, quod Achab Regi Israël præbuerit auxilium contra Regem Syriae, in oppugnanda Ramoth Galaad. Hoc obiecit illi Propheta 2. Paralip. 19. 2. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris.* Et idcirco iram quidem Dei merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda. Secundò, quod amicitiam contraxerit cum Ochozia, filio Achabi. Quod etiam illi obiectū est à Propheta 2. Paralipomenon 20. 35. Post hæc inuit amicias Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israël, cuius opera fuerunt impiissima. Et particeps fuit, ut facerent naues, qua irent in Tharsis: feceruntque classem in Asongaber. Prophetauit autem Eliezer ad Iosaphat, dicens: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contrariaque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.*

19. IORAM fuit malus. Acta eius sunt hæc. 1. Accepit vxorem, idololatricam, nempe Athaliam, filiam Achab Regis Israël. 2. Occidit omnes fratres suos gladio, & quosdam de Principibus Israël. 3. Derelicto Deo, fabricauit excelsa in urbibus Iuda, & præuaricari fecit habitatores Ierusalem. 4. Ideo ab Elia Propheta per litteras reprehensus est. (Quod contigit multis annis post rapptum Eliæ.) Et grauiter à Deo punitus. Pœnæ fuerunt hæc. Primò, Defecerunt ab eo Idumæi, & rebellarunt. Secundò, Defecit etiam vrbs Lobna, quæ erat in tribu Iuda. Tertiò, Philistæ & Arabes vastauerunt terram Iuda: Et diripuerunt omnem substantiam Regis Ioram:

Et

Et insuper occiderūt eius vxores & filios, excepto vnico Ioachar, qui & Ochozias dicitur est. Quartò, Deus percussit illum insanabili languore alui, quo toto biennium affligebat. Et tandem longa tabe consumptus, egressit viscera, & mortuus est. Quintò, Populus non fecit illi exequias, nec sepelivit in sepulchro Regum. Hæc omnia habentur, partim 4. Regum 8. 17. partim 2. Paralip. 21.

20. **OCHOZIAS** fuit etiam malus. Nam primò, Seductus est à matre sua Athalia. Secundò, Vtebatur Consiliariis ex domo impiissimi Achab, qui erat pater Athaliæ. Tertiò, Cum Ioram filio Achab, Rege Iſraël iuit ad bellum contra Hazaël Regem Syriæ, in Ramoth Galaad. Quartò, Eundem Ioram in bello vulneratum, & reuersum in Iezrahel, inuisit. Quintò, Ibi superueniens Iehu, vtrumque occidit: ac simul deleuit totam domum Achab, vt ipsi erat mandatum à Deo per Prophetam. 4. Regum 8. 25. & cap. 9. 7. & 2. Paralipomenon 22. 2.

21. **ATHALIA**, mater Ochoziæ, fuit impiissima. Mortuo filio, occupauit regnum: Et, vt sola posset regnare, interfecit omnes masculos stirpis Regiæ, præter Ioas filium Ochoziæ, qui à fratre sua Iosaba, vxore Ioiada Pontificis, occultè subtractus & absconditus est. Deinde, anno septimo, Ioas, auctoritate eiusdem Pontificis, publicè promulgatus est Rex, & Athalia interfacta. 4. Regum 11. & 2. Paralip. 22.

22. **IOAS**, primò bonus, postea pessimus. Optime se gessit, quamdiu vixit Ioiada Pontifex, ex cuius directione & consilio hæc fecit. Primò, Curauit instaurari templum, quod sub Athalia, Ochozia,

zia, & Ioram, fuerat neglectum, & ferè collapsum. Secundò, Liberauit Ierusalem à periculo obsidionis. Misit enim Hazaël Regi Syriæ magnam pecunia summam, partim ex thesauro Templi, partim ex Palatio Regio, vt non ob sideret Ierusalem, cùm ad eam obsidédam appropinquaret. At mortuo Pontifice, delinitus est obsequiis Principum Iuda, & hæc patravit. Primò, Concessit exercituum idolatriæ. Secundò, Interfecit Zachariam, filium Ioiada Pontificis, qui ipsum & Principes Iuda, totumque populum increpabat, propter idolatriam. Sed non impunè. Nam sequenti anno post mortem Zachariæ, tam Rex ipse, quam alij omnes ab exercitu Syrorum puniti sunt. Et tandem Rex à seruis suis imperfectus. (4. Reg. 12. & 2. Paralipomenon 24.)

23. **AMASIAS** imitatus est patrem suum. Nam initio fuit bonus; deinde malus. Gesta eius describuntur 4. Reg. 14. & 2. Paralip. 25. Sunt autem hæc. 1. Confirmato regno, iussit iugulari eos, qui interfecerant patrem suum Ioas. Non tamen filios eorum, propter legem, quæ prohibet filios occidi pro patribus. Tunc enim adhuc erat obseruans legis Mosaicæ. 2. Collegit duplicum exercitum contra Idumæos, qui iam pridem rebellauerant: Vnum ex populo Iuda; alterum ex populo Iſraël. 3. Monitus à Propheta, vt dimitteret exercitum Iſraël, vt pote impium, & à Deo alienum: obtemperauit, & victoriam obtinuit contra Idumæos. Ex quibus interfecit decem millia: & totidem ex altissima petra præcipitauit. Hactenus benè. Deinceps malè. 1. Rediens ex victoria, asportauit secum Deos Idumæorum,

Ce quos

quos cœpit in Ierusalem adorare, & incensum illis adolere. Ob quam causam, missus ad eum Propheta, dixit illi: *Cur adorasti deos, quin non liberauerunt populum tuum de manu tua?* Cui respondit Amasias: *Num consiliarius Regis es? Quiesce, ne interficiam te.* Tunc abiens Propheta, inquit: *Scio quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieciisti consilio meo.* 2. Post hæc traditus est in reprobum sensum, & insolenter factus propter supradictam victoriam, inito pessimo consilio, provocauit Regem Israël ad bellum, putans quod & illum posset sibi subiugare. Rex Israël, miratus temeritatem hominis, proposuit illi parabolam de Carduo & Cedro Libani: Volens significare, quod sicut Carduus nullo modo potest comparari cum Cedro; ita Rex Iuda nullo modo possit comparari cum Rege Israël. Non acquieuit Amasias. Itaque Rex Israël venit cum exercitu in Bethsames, quod est oppidum Iuda, & ibi fugauit exercitum Amasiae. Ipsum Amasiam cepit captiuum, & duxit in Ierusalem: ibique diripiuit omnem thesaurum Templi, & Palatij Regis; ac tandem reliquo ibidem Amasia cum obsidibus reuersus est in Samiam. 3. Interea moritur Rex Israël. 4. Contra Amasiam verò conspirant Ciues in Ierusalem, eo quod propter ipsius defectionem à cultu Dei, & introducitam idololatriam, multas calamitates paternerunt. 5. Ipse, cognita eorum conspiratione, fugit in Lachis: sed frustra. Nam ibi à conspiratis interfectus est.

24. OZIAS, seu ASARIAS, filius Amasiae, cum esset 16. annorum, à toto populo electus est

Rex.

Rex. Fuit quidem bonus, sed propter usurpatum officium Sacerdotale, quod ipso non congruebat, à Deo punitus est lepra. Acta eius describuntur 4. Regum 15. & 2. Paralip. 26. Sunt autem triplicia. Nam quædam contigerunt tempore belli: alia tempore pacis: alia circa finem vitæ. Tempore belli fecit hæc, ex consilio & directione Zachariae Videntis. 1. Muniuit Ierusalem multis turribus. 2. In turribus collocavit machinas diversi genetis, quæ sagittas & saxa iaciebant. 3. Instruxit exercitum trecentorum & septem millium, & quingentorum. 4. Comparauit illis omnia armorum genera, clypeos, hastas, galeas, loricas, arcus, fundas, & his similia. 5. Ædificauit Ailath, siue Ælath, siue Ailam, in finibus Idumæorum, & restituit eam Iudæ. 6. Sèpè fœliciter pugnauit contra Philistæos. 7. Destruxit murum urbis Geth, & Iabinæ, & Azoti. 8. Ædificauit oppida in ditione Azoti Philistijm. 9. Vicit etiam Arabes & Ammonitas, qui postea coacti sunt illi dare tributum. Et propter tam celebres victorias, diuulgatum est nomen eius usque ad introitum Ægypti. Tempore pacis, deditus erat agriculturæ. Habebat plurimos vinitores in Carmelo, & alibi. Fodiebat cisternas ad colligendam aquam pro pecoribus, quorum numerosissimos alebat greges. Tandem circa annum regni 43. propter multa præclarè gesta in superbiam elatus, Sacerdotale officium ausus est usurpare. Nam ingressus in templum Domini, voluit adolere incensum super altare thymiamatis, obstante Pontifice. Mox lepra in frontem percussus, & à Sacerdotibus è templo

Cc 2 eie

electus est. Et sic mansit leprosus usque ad finem
vitæ suæ, habitans in domo sacerdotum extra Ierusalem. Interea Ioathan, filius eius, administrabat
regnum.

25. IOATHAN, filius Ozias, fuit bonus. De quo scriptum est 2. Paralipomenon 27. 2. Fecit quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat Ozias pater suus; excepto, quod non est ingressus templum Domini, ad usurpandum officium sacerdotale. In quo præcelluit patri. Vnum in eo reprehenditur. 4. Reg. 15. 35. Veruniamen excelsa non abstulit. De cætero in omnibus benè se gessit, iuxta illud 2. Paralipomenon 27. 6. Corroboratúsque est Ioathan, eo quod direxisse vias suas coram Domino Deo suo.

26. ACHAZ, filius Joarhan, fuit impius. De quo 4. Reg. 1. & 2. Paralip. 28. habemus hæc. Primo, derelicto Domino Deo patrum suorum, secutus est idolatriam Regum Israël. 2. Fecit statuas, & coluit eas in excelsis, in collibus, & sub omni ligno frondoso, immolando victimas, & incensumadolendo. 3. Lustrauit filios suos in igne, & consecravit eos idolis. Propter has causas, tam ipse, quam subditi eius grauissimè puniti sunt, & saepius bello oppressi. Primo, à Rasin Rege Syriae. A Phacee Rege Israël. (2. Paralipomenon 28. 5. & sequentibus.) 3. Ab utroque coniunctim (4. Reg. 16. 5. & Isaiae 7. 5.) 4. Ab Idumæis. 5. A Philistæis. 6. A Rege Assyriorum. Hæc omnia contigerunt propter peccata Regis Achaz. (2. Paralipomenon vigesimo octavo, versu decimo septimo, & sequentibus.)

27. EZECHIAS, filius Achaz, fuit optimus,
iuxta

iuxta illud 4. Reg. 18. 5. Post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda: sed neque in his qui ante eum fuerunt. Et ibidem: Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Gesta eius describuntur, partim loco citato, partim 2. Paralipomenon 29. & tribus sequentibus. Præcipua sunt hæc. Primo, sustulit idolatriam, & verum Dei cultum restituit, hoc ordine. 1. Contrauit statuas & idola, quæ Achaz pater eius fabricauerat. 2. Dissipauit excelsa, & succidit lucos. 3. Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moses; quia filii Israël adolebant ei incensum. 4. Curauit per Leuitas & Sacerdotes repurgari templum, Tabernaculum, vasa sacra; quæ à patre ipsius fuerant contaminata. 5. Ipsos quoque Leuitas ac Sacerdotes monuit sui officij, ut offerrent sacrifici, & restituerent usum organorum, psalteriorum, cithararum. 6. Curauit celebrari Phase in Hierusalem, conuocatis eo non tantum subditis, qui erant in regno Iuda; sed etiam filiis Israël, qui remanserant ex aliis tribubus, & non erant cum reliquis ducti in captivitatem à Rege Assyriorum.

28. His peractis, venit Sennacherib Rex Assyriorum cum ingenti exercitu contra Ezechiam, & obsedit Hierusalem. Ezechias totam spem suam ponebat in Deo, eumque supplex orabat pro liberatione. Nec frustra. Nam quadam nocte Angelus Domini venit in castra Assyriorum, & percussit centrum octoginta quinque millia hominum. Mox fugit Sennacherib, & reddit in Niniue, ibique à filiis suis interfectus est.

29. Post hæc agrotauit Ezechias, & ab Isaia

Propheta monitus est , vt disposeret se ad mortem. Iterum orauit cum fletu ; & responsum est illi à Domino per eundem Prophetam : *Audiri orationem tuam , & vidi lacrymas tuas ; & ecce sanauit te : Die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* Ezechias audita hac promissione , petiuit signo seu miraculo eam confirmari. Factum est. Erat autem hoc signum. Vmbra rediit decem gradibus retrorsum in horologio , quibus descenderat.

30. Rex Babylonis , cùm intellexisset de morbo Ezechiæ , misit ad eum Legatos & munera ; quibus ipse lætatus est. Et ostendit Legatis omnem suum thesaurum. Quo nomine reprehendit illum Isaías , ac prædictis fore , vt omnis thesaurus regius auferatur à Babylonii , quod postea , tempore captiuitatis Babylonicae , factum est.

31. MANASSES , filius Ezechiæ , fuit pessimus , sicut Achaz avus eius. Duo generatim fecit mala. Primo , abrogauit cultum Dei , quem Ezechias , pater eius , instaurauerat. Secundo , reuocauit idolatriam , quam Achaz introduxerat. Speciatim hæc . 1. Ædificauit excelsa . 2. Erexit aras Baal . 3. Fecit lucos , & adorauit omnem militiam cœli . 4. Exstruxit aras idolorum in templo Domini . 5. Traduxit filium suum per ignem . 6. Ariolatus est , obseruauit auguria , fecit pythones , multiplicauit aruspices . 7. Fudit sanguinem innoxium. Propter hæc minatus est Deus per Prophetas : *Ecce ego inducam mala super Ierusalem & Iudam , ut quicunque audierit , inniant amba aures eius.* (4. Reg. 21. 12.) Postea venerunt Principes Assyriorum

riorum cum exercitu , & Manassen vincitum catenæ ac compedibus duxerunt in Babylonem. Ibi , præ angustia animi , cœpit orare Deum , & agere pœnitentiam. Deinde , reuersus in Hierusalem , sustulit idolatriam , & cultum Dei restaurauit. (2. Paralipom. 33. 1.) Aliqui putant , Isaiam Prophetam , iubente Manasse , ferræ lignæ in duas partes dissectum esse , vt Epiphanius , Isidorus , Eusebius , Hieronymus , & alij apud Turniellum in Annalibus , Anno mundi 3338. num. 4. Vide Baronium in Martyrologio , die 6. Iulij.

32. A M O N , filius Manassis , fuit impius. Seputus est impietatem patris , sed non pœnitentiam. In propria domo à suis subditis interfactus est. (4. Reg. 21. 19. & 2. Paralip. 33. 1)

33. I O S I A S , filius Amon , fuit optimus. Cœpit regnare , cum esset octo annorum. Et multa præclarè gessit , vt habetur 4. Regum 22. & 2. Paralipomen. 34. & 35. Primo , abstulit ex Iuda & Hierusalem , itemque ex vniuersa terra Israël , omnia excelsa , lucos , aras Baalim , sculptila & simulacra. Secundo , iis ablatis , curauit per Heliçiam Sacerdotem instaurari Templum Domini. Tertio , In instauratione Templi inuentus est liber Legis seu Deuteronomij , quem Helcias misit Regi legendum. Quartò , Rex , lecto libro , scidit vestimenta sua , & exterritus est propter maledictiones , quæ in illo libro habebantur contra transgressores legis. Sciebat enim multos Reges ex suis antecessoribus , vna cum populo , deferruisse legem Dei , & coluisse idola : ac proinde merito timebat , ne omnes istæ malædictiones venirent super Iudam & Hierusalem. 5. Itaque